

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XXVI. Hypomn. IV. Ad Uet. Thuring. Hist.

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

XXVI. HYPOMN. IV. AD VET.  
THYRING. HIST.

Postquam Thuringia regnum esse desit, pars eius in provinciam redacta, et *Austrasiae* addita est, regnante in *Mediomatricibus* Theoderico, huius nominis primo, eoqve *Clodovaei M. filio*, qui *Francos Orientales* ditione sua complectebatur. Pars delata est ad *Saxones*, *Francorum* in debellando Rege *Hermenfrido* socios, qui iuxta *Visurgim* incolebant, atqve ad eum regno evertendum incitati, vires et arma coniungebant. *Procopius*, scriptor horum peritus temporum, in *soga belloqve versatus*, et *Belisario Iustiniani Imp. militiae praefecto a consiliis*, lib. I. de bello Gothorum. *Gregorius Turonensis Antistes*, antiquissimus idemqve primus ex *Francorum* gente *Historicus Christianus*, histor. lib. III. c. 4. 7. 8. *Scriptor vetustus de gestis Francorum* c. 23. *Aimoinus* lib. II. cap. 9. *Viticindus Corbeiensis*, monachus diligens perinde ac *doctus*, annal. lib. I. Quo tempore *Romanorum Imperator* florebat *Iustinianus Magnus Romae Pontifex Bonifacius II. Antistes et primas Galliae Remigius*. In regno *Franciae* post *Clodovaei M. excessum* diviso, cum summa potestate erant *Theodericus I. Childebertus et Clotharius*, sublato iam eorum fratre *Clodomere*, filisqve eius crudelitate patrum *Childeberti et Clotharii interfectis*, apud *Turonensem* lib. III. cap. 18. Simul in *Hispania* regnabat *Amalaricus*: in *Italia* summam rerum tenebat *Athalaricus*, idemqve successor *Theoderici*, *Ostrogothorum Regis*, qui *Hermenfrido Thuringiae Regi Amalbergam*, sororis filiam collocavit, quae marito causa exitii fuit, et hoc everso, in *Italiam* se recepit ad *Theodatum fratrem*. Vid. *Procopius* cit. l. *Varie* hoc nomen scribitur, ut constat ex *Cassiodoro*, *Iornanda*, qui *Hermenfridi* quoqve meminerunt. Consulto supersidemus epocha *COSS. Indictionum et Nati Christi*, quae nondum in regno *Franciae* tunc receptae erant, nec me tamen fugit, duas priores interdum *Mario Aventicensi* fuisse usurpatas.

S. II. Victus acie *Hermenfridus*, salutis causa *Scheidingam* in ripa *Vnstrui* sitam profugit, et cum *Saxones* eum obsidione premerent, dilapsus est quem publica fide evocavit *Theodericus Rex*, neque id abnuit *Thuringus*, pacis instaurandae cupidus, et colloqvii causa venit *Tulpiacum*, oppidum in *Vbiis* clarum, ubi nihil metuens ex muro, in quo secure inambulabat, praiceps datus, finem regni et vitae habuit, non sine crimine perfidiae *Regis Francorum*.

Annus excisi *Thuringorum* regni, subduclis rationibus, constituo *DXXX*. Quorsum legantur *Turonensis*, et huius epitomastes *Fredegarius*, *Aimoinus*, et *Venantius Honorius Clementianus Fortunatus*, in carmine, quod *Ch. Brovverus* edidit



pariter atque illustravit, de excidio Thuringiae, et in libr. de Vita S. Radegundis, quae fuit Bertharii, Hermenfridi Fr. filia, a Clothario, Theodores fratre, bellique socio capta, ac in Franciam abducta, literisque divinius innotuit, quemadmodum in vita eius Venantius refert. Multi annum eversi huius regni nominant ac definiunt DXXIV. inter quos est Sigbertus Gemblacensis, quem vulgo sequuntur. Illi suffragatus est Iodocus Coccius, in Dagoberto, pag. 9. Longius Regino abiit, atque ad annum CCCCL. retulit memorabilem hanc regni Thuringici conversionem. Propius accessit Aubertus Miratus, qui annum DXXIX. excidio regni Thuringici insignivit, in Chronico Belgico ad h. A. Cui addimus licet Hadrianum Valesium, multaelectionis et industriae virum, libro VII. rerum Francicarum. Omnino ceteroquin gravi de causa Theodericus in admissi criminis suspicionem vocatur a Gregorio Turonensi, lib. III. cap. 8. Ado Viennensis hoc aperte tradit, in Chronico aet. VI. Regino, qui Adonem plerumque sequitur, in Chron. ad A. cit. Durum et crudele Theoderici ingenium patet vel argumento etiam caedis liberorum Hermenfridi, apud Aimoinum lib. II. cap. 9. Pariter atque Hugo Flaviniacensis indicat callidum versutumque Theoderici animum, in Chronico Virdunensi. Caesar Baronius quoque Clotharium caedis peractae accusat, quem memoriae lapsus fortasse in errorem traxit, in annal. eccles. t. VII. ad A. 527.

§. III. Quod regnum cum suis legibus staret, a Moeno ad Ocrum usque porrectum, inter Lanum et Vnstrutum, sylvamque Herciniam latissime patuit, et utramque Hessiam, terramque Misniae Orientalem, quae Osterlandia dicitur, partemque Orientalis Franciae, quam Theodericus regno suo adiecit, et tractum denique insignem, inter Albim Salam Ocrumque protensum, qui postea cessit Saxonibus *Ospbals*, veteri ambitu comprehendit.

Thuringiae fines quondam regionem Theoderici Austrasorum Regis contingebant, atque adeo Cattorum, quas Francos appello, et Saxonum cis Visurgin posterorum finitimi erant, in quos, tracto Rheno, Franci moverunt, atque in ipsa, quod hinc consequitur, Germania transrhenana et magna novam regno suo regionem adiunxerunt, partemque Thuringiae cis Vnstrutum sitae armis subactam, in normannitatemque Ostrofrancicam redegerunt: Saxones Vesperani reliquam partem trans Vnstrutam occuparunt, id quod ex Francorum Saxonumque monumentis, diplomaticisque veteribus non est difficile collectu. Eo legatur Vigandus Gerstenbergk in Chronico Montis Francorum (hodie Francoberga est) urbis perantiquae ad Adernae fontes in superiori Hessia extructae: quod indicio est, Thuringiam Cis-Vnstrutanam cum utraque Hessia in Theoderici I. Regis Francorum, in ditionemque venisse. Cetera Thuringia, quae ad Septentrionem vergit,



vergit, Norththuringia dici solita, tractum Magdeburgicum, et Comitatum Rein-  
steinensem, una cum oppidâ Magdeburgo, Helmstadio continebat. Unde expli-  
candus est Henr. Meibomius, Helmstadium Saxoniae Civeseranae adscribens,  
in opusc. de Ducibus Saxoniae ante Hermannum Billingum. Nam huius di-  
zoni postea accessit et iuncta est, quam Saxones trans Vstrutianam, finitimamque  
Thuringiae partem sibi subiecerunt, Saxoniaeque fines nova hac accessione auxerunt.  
Quae causa est, quamobrem Mulbasa et Northusa, insignes Norththuringiae  
urbes, Saxoniae veteri annumerentur, et ad huius comitia, sive Conventus  
Circulares evocentur. V. Herm. Conringius in libro de antiq. situ Helmstadii  
et viciniaep. 79.

§. IV. De religione Thuringorum Hessorumque laboravit et optime  
meritus est Bonifacius, praeful animi sanctitate praestantissimus, cum po-  
testate docendi a Gregorio II. Pont. in Thuringiam dimissus, cui necessitu-  
do familiaritasque intercessit cum Vnebaldo, qui similiter auctoritate Boni-  
facii, Thuringiam diviniore literis erudit, et pari fide ac diligentia est  
munere illo tam arduo et difficili perfunctus. Omnia haec certis atque illu-  
stris testimoniis nituntur, sigillatim epistolis Bonifacii, S. Vilibaldo de S. Bo-  
nifacio cap. VI. VIII. Othlono in vita eiusdem, c. XIII. et XXIX. Scriptore  
vitae S. Valpurgae cap. I. Quo factum est, ut Thuringia, perinde ac Hassia re-  
ferri coeperit, ad metropolim Moguntinam, salvo iure principatus, et imperii civilis,  
aliunde competentis, quod alias persequemur.

## XXVII. DE LUSATIA.

Lusatia a nemine haecenus, praeterquam a Christophoro Manlio Gorlicen-  
si, (a) integra descripta est: quod opus cur haecenus suppressum, ac  
ne doctissimis quidem visum fuerit, ego equidem non miror, qui eius pa-  
riter atque Abrahami Hoffmanni fortunam satis cognitam habeam, quae non  
permisit, ut quod hi viri pro veritate causae, ac dignitate patriae susceperant,  
ex animi sententia perficere possent.

(a) Magnopere laudatur a Martino Mylio in annalibus Gorlicensibus an. 1575.  
Fuit enim summo ingenio, et iudicio subactis ac maturo, poeta elegans historicus  
insignis et diligens Lusatiae scriptor. Eius epigrammatum liber Pragae, Bohe-  
miae metropoli, est editus. Poematum volumen nondum est praelo expressum. Co-  
mentarios rerum Lusatiarum septem libris distinctos composuit, quos interest ex-  
poliri cum cura et perfici plane atque absoluti. Ipse sibi mortuus talis fecit epi-  
gramma, quod in annalibus Gorlicensibus a viro clarissimo Christiano Kuncio mihî